

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Ioannes ex Lupis de Hermansgrun orator Maidburgensis S. D. Ioanni
Reuchlin Phorcensi

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

EPIS. ILLVST. VIRORVM AD

Ioannes ex Lupis de Hermansgrun Orator Maidburgen
sis S. D. Ioanni Reuchlin Phorcensi.

Opportune mihi literæ tuæ aduenere mi humanissime Ioannes, multis enim diurnis nocturnisque laboribus fatigatū me mirū in modū recreauere. Et pfecto nil antiquius mihi cōtingere potuit, quā epistola tua, quā semper in manibus gesto, & qua soleo uti pro portu negotiorū, quotiens enim aut fastidio rerum aut multitudine negotiorum obruor, totiens ad tuam epistolam tanquam ex alto in portum recurro. Non satis neque legere eam, neque mirari possum ingenium tuum, quod tam apte Quintum Iliados illis Italiae & Galliae motibus Germaniaeque minis comparasti. Respexi non sine summa diligentia chartam quam literis exarasti. Et sicubi uel minima litura auri apparuisset, credere Apollinem ipsum suis manibus aureoque calamo illam descripsisse. Multis doctissimis uiris ipsam legendam dedi. Etiam Antistiti nostro delitiis humani generis. Quod autem nemo de rebus aut Italiae aut nostri status ut significaste reddidit certiore, alio tempore quantum ad me attinet tibi scribam, Illustris Dux de Wuirtemberg iussit ut ad te scriberē, dixitque se nuncium prope missurum. Ego cupiens etiam prauenire iussione, ut non tam celsitudini suae quā & officio amicitiae nostrae satisfacere uiderer. Scripsi haec qualiacumque raptim inter loquendum, & in senatu & calamo chartaque aliena. Auxilio episcopi Vormaciensis impetraui fratri tuo quoddam beneficium uel praebendam a Duce nostro Wuirtembergensi, qui mihi omnibus principibus non modo nostri temporis praefendus, sed & priscis clarissimis & illustribus uiris comparandus merito uidetur ob uirtutem. Tibi pro nostra amicitia gratulor, dignum principem quem immortalitati consecrare & uelis & possis tibi obtigisse. Vale, & me quod facis amato. Ex Bemaico pridie idus Augusti. Anno. M. CCCC. lxxxv.

Ioannes ex Lupis de Hermansgrun, Ioanni
Reuchlin Phorcensi. S. D.

DVm Pragae apud Serenissimum Hungariae & Bohemiae regem legatiōis officio fungerer, & inter Scythicā prole propter linguarū durioris impitiam non nihil tedii habere, aduenit nobilis & praestantissimus Gottofredus de Adelsheim & ipse legatus, de cuius aduentu mirū in modum sum gauisus. Reputabam enim me